



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 117. Principes ad bellum Turcicum a Pontifice excitati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

**Sæcul. XV.** dem urbis Archiepiscoporum Chronicon  
**A. C. 1490.** absolvit, aliudque de gestis, dictisque  
 memorabilibus usque ad suam ætatem  
 conscripsit. Quo anno obierit, igno-  
 ratur.

## §. CXVII.

*Principes ad bellum Turcicum a Pon-  
 tifice excitati.*

*Vid. supr.  
 Ann. 1484.  
 §. 141.  
 Bzov. ad  
 ann. 1490.  
 Vialard. in  
 vit. Innoc.  
 VIII.*

**M**eminimus, a Nobili Virgine Lusita-  
 na nomine Beatrice a Silva Toleti  
 in Hispania Ordinem Monialium in ho-  
 norem Conceptionis B. V. Mariæ institu-  
 tum fuisse, quem Innocentius VIII. ad  
 preces Isabellæ Castellæ Reginæ exeun-  
 te Anno priori confirmavit, concessitque,  
 ut sub regula Ordinis Cisterciensis Deo  
 servirent. Nunc vero summus Pontifex  
 omnem impendit operam, ut Zizimi,  
 quem in sua potestate tenebat, auxilio  
 usus bellum in Turcas moveret: Hunc  
 in finem ineunte Anno millesimo qua-  
 dringentesimo nonagesimo missis undi-  
 que Apostolicis Oratoribus, Imperato-  
 rem, Reges, Principes, ac Respublicas  
 eo adduxit, ut hi denuo Legatos Ro-  
 mam ad vigesimam quintam Martii diem  
 B. Virgini annuntiatæ sacram ablega-  
 rent, quibuscum de ratione hujus belli  
 decerneretur: Cum ergo Principes  
 summi Pontificis hortationibus animati  
 ad

ad præstitutam diem suos misissent Le- Sæcul. XV.  
 gatos, Innocentius cum illis statuit, ut A C. 1490.  
 in sacra militiæ expensas unusquisque  
 Princeps decretam pro viribus suis pecu-  
 niam numeraret, & arma vel milites sup-  
 peditaret, sancitumque, quod plenam  
 haberet libertatem Pontifex Annatas,  
 Decimas, vel alias præstationes exigendi,  
 tum indulgentias, gratias ac privilegia  
 promulgandi, ac denique cruce signa-  
 tos ad vexilla vocandi. Ipse quoque  
 Pontifex vicissim pollicitus est, quod ip-  
 semet bello interesse velit, si quis ex  
 tribus hisce Franciæ, Hispaniæ vel An-  
 gliæ Regibus copias in Turcas duceret:  
 si vero Regum nullus exercitus Christia-  
 ni imperium in se susciperet, nihilomi-  
 nus Papa duos Legatos se nominaturum  
 promisit, quorum unus maritimis, alter  
 vero terrestribus copiis imperet, ita ta-  
 men, ut Itali, Galli, Hispani & Angli rem  
 mari gererent, Germani vero, Bohemi,  
 Hungari & Poloni terra hostem aggre-  
 derentur. Hanc in rem Oratores, ac  
 Nuncii ad omnes Provincias destina-  
 ti sunt; ast cuncta hæc præclare  
 proposita effectum penitus caruerunt:  
 Principes enim privati sui commodi  
 potiore quam communis boni curam  
 habebant; ipse quoque summus Pontifex  
 (si tamen quorundam Scriptorum asser-  
 tis fides habenda) tam ardenti, quod  
 præ-

Sæcul. XV. præferebat, sacrae militiæ studio ferme  
 A C. 1490. neglecto, in eandem cum Principibus  
 sententiam ibat.

## §. CXVIII.

*Legationes Bajazethis & Ægypti  
Sultani ad Papam.*

Raynald.  
 hoc ann.  
 num. 2. & 3.

Bajazethes, ubi tam potentem, reapse  
 tamen inutilem armorum apparatus  
 compererat, summam indignationem in  
 supremum Rhodiorum Magistrum con-  
 cepit, eoquod Zizimum ejus fratrem e  
 custodia Equitum dimisisset; quapropter  
 missis ad Pontificem Oratoribus cum eo  
 foedus pangere decrevit, pollicitus, quod  
 centum & viginti aursorum millia pen-  
 dere velit, dummodo Papa Zizimum in  
 custodia detineret. Sub idem tempus  
 missus ab Ægypti Sultano Orator Romam  
 venit, qui Pontificem, ut ei Zizimum  
 ad Turcas certius opprimendos traderet,  
 plurimum incitabat. Ceterum Bajaze-  
 this Legatus omni obsequiorum genere  
 excipitur, cunctis Cardinalibus ac Papæ  
 Ministris obviam effusis; hic jamjam præ-  
 ter ingentem gemmarum alioraque  
 munerum thesaurum, in promptu habe-  
 bat promissam pecuniarum summam,  
 quæ in triennem Zizimi pensionem ex-  
 penderetur. Præterea quadraginta au-  
 reorum millia in singulos annos nume-  
 randa